



## **Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...**

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In qua tractatur de Sacramentis in Genere, & duobus primis in specie

**Bosco, Jean a**

**Lovanii, 1665**

Concl. VI. Intentio Sacramenti debet esse directa, hoc est, collatio Sacramenti debet esse libera in se, & non tantùm in causa, v.g. in ebrietate in illum finem intenta, ut in ea Sacramentum ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73340)

primò in directam & indirectam. Prior est, quâ aliquid volumus secundùm se, à qua aliquid dicitur voluntarium directè. Posterior, quâ tantùm in causa; & quod ita volitur, vocatur voluntarium indirectè.

Aliqui per voluntarium directum intelligunt illud, in quod voluntas tendit per actum positivum ordinatum ad illud sive in se ipso, sive in causa: & ita ebrietas secuta ex nimia potatione est voluntaria directè, & volitio nimie potationis est intentio directè ebrietatis. Voluntarium autem indirectum erit, puta interna omisio voluntatis, & illud in quod voluntas non tendit actu ordinato ad illud neque in se neque in causa, ut omisio sacri prævifa in somno vel lusu.

Alij vocant voluntarium directum, quod in se ipso amatur mediatè vel immediatè, ut cum volo ambulare & alium assequi, tam ambulatio, quam assecutio est voluntaria directè. Indirectum, quod potuit voluntas impedire, & non impedivit; v. g. si quis videt alterum erraturum, & non monet, error alterius est voluntarius indirectè. Deinde, si videt effectum secuturum ex sua actione, qui tamen illi displicet, ut homicidium ex ebrietate.

His suppositis de ratione nominis, quaerunt Theologi an sufficiat ad valorem Sacramenti voluntas sive intentio illius in causa? Explico: aliquis scit, se in ebrietate vel somno proferre verba consecrationis; vult ergo, quando est sui compos, per verba postea in somno vel ebrietate prolata validè consecrare. Pro resolutione erit

### CONCLUSIO VI.

**Intentio Sacramenti debet esse directà, hoc est, collatio Sacramenti debet esse libera in se, & non tantùm in causa, v. g. in ebrietate in illum finem intenta, ut in ea Sacramentum consecratur.**

86. **E**st communis; sed efficax ejus probatio non parùm difficilis. Et quidem quando quis se non inebriat eo sine (quamquam prævideat se prolaturum verba Sacramenti, & velit etiam ea esse valida, nec

minùs ipsam ebrietatem) satis constat non confici Sacramentum; quippe verba illa non procedunt ut effectus ab illa priori voluntate ebrietatis, tanquam à causa morali; sed ab ebrietate, ut à causa physica.

Accedit, quòd, ut verba significant, non sufficiat velle me significare, si ea verba protulero; at requiritur quòd ad hunc finem velim ea proferre, atque adeò ut velim ipsam prolationem, & hæc oriatur ex intentione significandi per verba; alioquin non loquor humano modo, cum tamen ministerium Sacramenti debeat esse actio humana, ut ex dictis liquet.

Major difficultas est in casu conclusionis; siquidem tunc verba oriuntur mediatè ex illa intentione priori, & non tantùm sunt volita sive voluntaria in causa, sed etiam directè & formaliter secundùm se ipsa, juxta tertium modum supra relatam; quemadmodùm nepos directè procedit ex avo; quamvis mediatè.

Confirmatur: quia qui effundit aquam in puerum, solum vult abluionem in causa, scilicet in illa effusione; similiter si conjux v. g. projiciat chartam, in qua alteri significat suum consensum. Quidni etiam valeat Matrimonium, si velit significare consensum suum in somno & ebrietate? Propter hæc aliqui censent Baptismum v. g. ita collatum esse validum, sed iterandum sub conditione.

Oppositum docet conclusio, cujus ratio est: quia nec tales locutiones vel actiones sunt humanae; licet enim ad illas non semper requiratur libertas actualis, ut patet in illo, qui distractè consecrat; necessaria tamen est virtualis, id est, actualis præcedens, quæ humano modo adhuc influat in opus præsens, sive (ut loquitur Emin. Lugo disp. 8. num. 103.) licet locutiones illæ sint liberæ denominativæ, non possunt tamen significare more humano mentem loquentem præsentem, id est, quid sentiat pro tunc de rebus sive præsentibus, sive præteritis, sive futuris. Enimverò ebrius vel dormiens nihil de facto sentit de illis, de quibus loquitur, nequidem virtualiter; porro distractè celebrans exprimit saltem mentem, quam virtualiter habet, id est, derivatam humano modo ex priori mente magis explicata.

Et esto verba possent significare mentem merè præteritam; tamen Christus non instituit nisi verba & actiones, quæ exprimerent mentem præsentem; quippe instituit ea, prout sunt signa humana, & prout significant humano modo & di-

Difficultas  
contra  
Conclusionem.

87.  
Ratio Con-  
clusionis.

Lugo.

Christus  
non instituit nisi  
verba &  
actiones  
quæ expriment  
mentem  
præsentem  
& di-

Sect. 7. De Ministro Sacrament. Concl. 6. 163

& directè ex institutione id, ad quod sunt instituta; non quatenus indirectè & à posteriori possunt arguere aliquam causam, quam habuerunt; ad hanc enim significandam non sunt instituta ab hominibus voces.

88. Hinc qui in ebrietate aut somno emeret, venderet, voveret &c. nihil efficeret, quamvis hæc antea prævidisset, & eo sine se inebriasset; nam volitum solum ut ponendum, quando deest usus rationis, non est voluntarium per modum effectus humani.

Ex his quoque fit, quod perjurium ebrii vel dormientis, etiam prævisum, non habeat malitiam perjurij, nec sit peccatum reservatum; sicut secundum multos est homicidium. Disparitas assignatur; quia iustitia, cui advertatur homicidium & similia, prohibet etiam apponere causam, ex qua talia damna proximo inferuntur; neque enim minus nocet homicidium aut furtum in ebrietate vel in somno, quam cum actuali & plena libertate commissum. Religio autem, cui opponitur perjurium, vetat dumtaxat adduci Deum in testem falsi per verba formalia; illa quippe sola possunt esse vera adductio Dei in testem; talia porro non sunt verba dormientis vel ebrii; unde neque convicta, neque mendacia in huiusmodi hominibus estimantur.

89. Petes, unde cognoscamus differentiam supra positam inter actionem ebrii & distracti? Respondet Emin. Lugo supra num. 106. Experientia ipsa testatur nos diversitatem experiri inter recitationem v. g. cum sola intentione virtuali in vigilia, & illam, quæ fit in somno. Consistit autem non tam ex parte objecti (nam in utroque casu volumus actu tenuissimo & confuso illam convenientiam, cujus confusè recordamur) sed ex parte potentie; quippe in uno casu potentia est integra & soluta; in alio autem ligata somno vel ebrietate; ac proinde in distracto vult illud objectum tota quidem, sed non totaliter propter distractionem ad alia; in ebrio autem solùm est semipotentia, ut sic loquar: non est jam tota anima seu anima vigilans operatur, sed anima dormiens, & tenebrata & exæcata; ex qua diversitate principij refunditur diversitas in actionem, quam experimur, ratione cujus una dicitur humana, alia non; quia scilicet ad hanc non attendit homo ut homo, sed homo ligatus ex parte potentie, similisque brutis in modo operandi.

Hanc responsonem oppugnat Dicastillo disput. 3. num. 123. multis interrogationibus, quarum postremæ sunt: Quæ pars est ista semi seu media, quæ manet? anticane vel postica? dextera vel sinistra? superna vel inferna? ubi latet altera? an una dormit, dum altera vigilat? an una sobria est, & altera ebria, ut non tota potentia operetur, sed semipotentia? Cur ergo ibi totam, & hæc non totam operari dicis?

Respondeo absque interrogatione: potentia ebria vel dormiens circa nullum objectum operatur humano modo, sive nullam exercet operationem humanam, sed dumtaxat operationes brutales; & ita semipotentia vocatur, id est, potentia exercens semioperationem, hoc est, imperfectam, & pro tunc proximè incapax operationis perfectioris: potentia autem distracta, quamvis daremus eam non operari humano modo circa objectum à quo distrahitur, nisi adsit levis aliqua & remissa cognitio cum indifferentia (ut vult Dicastillo supra num. 124.) de qua sequenti conclusionem, adhuc tamen operatur humano modo sibi proprio circa alia objecta, ac proinde tota operatur, hoc est, exercet operationem, ad quam tota virtus potentie exigitur, quamquam non totaliter, id est, quamquam non exerat illam virtutem circa objectum, à quo distrahitur.

Cæterum non diffiteor, melius explicari hanc differentiam, si dicamus cum Dicastillone, ad actionem distracti concurrere aliquam cognitionem cum indifferentia; secus ad actionem ebrii vel dormientis. His non obstantibus contra conclusionem

Obijcitur Primò: In recipiente Sacramentum non requiritur tanta libertas, ut patet in Baptismo & Pœnitentia; ergo neque in ministrante. Respondeo negando consequentiam: quippe suscipiens non agit ut minister Christi, nec significat; nec oportet, quod operetur humano modo, sed quod recipiat, seu potius patiat, quod humanâ actione ipsi confertur, vel, ut melius loquar, quod in ipsum minister liberè operatur; siquidem collatio Sacramenti non est propria aliqua donatio, etiam in Sacramento Ordinis, licet Episcopus dicat: *Accipe potestatem*; quod bene notandum est pro alibi dicendis. Probat manifestè: quia Ordo puero collatus valet, cum tamen hic sit incapax acceptationis, quæ necessaria est ad validam donationem.

X 4

Ratio

90. Oppugnata à Dicastillone.

Sed non rectè.

Assignatio differentie à Dicastillone est melior.

91. Objectum prima ex paritate inter recipientem & ministrantem Sacramentum.

Ratio à priori hujus disparitatis inter ministrum & suscipientem est voluntas Christi sic instituentis; congruentia verò, quia in actionibus humanis magis requiritur intentio agentis, quam patientis; & sapiens bene vult bona dispensari amentibus, non tamen ijs vult committere dispensationem.

92.  
Cur neuter  
conjug va-  
lidè contra-  
hat matrimo-  
nium in  
somno?

Ex quo patet; quare neuter conjug validè contrahat matrimonium in somno vel ebrietate (intellige per se, nam per procuratorem valet; quippe consensus ante ebrietatem virtualiter manet in consensu procuratoris, qui quasi est organum vitale; per quod conjug suum consensum manifestat, sed tale ut eodem modo operetur sive mandans dormiat, sive non, de quo plura proprio loco) ratio, inquam, est; quòd uterque contrahens sit simul recipiens & ministrans Sacramentum; actus autem in quantum ministri necessariò debet esse humanus. Ita Sanchez de Matrimonio lib. 1. disp. 8. n. 20. sicut (inquit) si aliquis sui compos audivit confessionem, & factus insanus absolveret, nulla esset absolutio: similiter si tunc baptizaret, quamvis antea id in animo haberet, irritus esset Baptismus.

Sanchez.

93.  
Basil. Pontif.

Sed contra arguit Basilii Pontius lib. 4. de Matrimonio cap. 1. n. 13. Res manet inexplicata; id enim est cujus rationem inquiri sub hac forma: Negari non potest in ebrietate manere virtuales intentionem, ut constat in eo, qui ante Baptismum voluit baptizari.

Responsio  
ad obiectio-  
nem Basilij  
Pontij.

Respondeo omninò negari debere, ne cogamur concedere in ebrietate quempiam validè posse absolvere, consecrare &c. Siquidem ex communi sententia Theologorum tam antiquorum, quam recentiorum, sufficit ad valorem Sacramenti intentio virtualis. Non remanet igitur in ebrietate vel somno intentio virtualis, sed habitualis, quæ satis est ad susceptionem Baptismi, absolutionis &c. secus ad ministracionem Matrimonij, aliorumque Sacramentorum, propter rationem jam assignatam.

94.  
Qui vide-  
tur ignorasse  
distinctionem  
inter consen-  
sum virtua-  
lem & ha-  
bitualem.

Videtur præfatus Auctor ignorasse, aut certè non satis considerasse distinctionem inter consensum virtuales & habituales, quæ tamen, etiam apud veteres Theologos, communis est. Hinc num. 14. sic ait: Alij eidem difficultati respondent ad susceptionem alicujus Sacramenti sufficere virtuales intentionem, quia susceptio non est actus humanus: quare solùm requiritur ne ponat obicem, & si adultus fuerit, ut aliquando saltem habuerit voluntatem,

nunquamque retraxerit. At verò actionem ministri debere esse humanam, ac proinde ex parte ipsius requiri, ut actualis consensus comitetur verba ipsa aut signa exteriora. Atque idem dicendum de quovis alio contractu; quia contrahentes sunt causæ efficientes illius contractus. Hæc solutio omni veritate destituitur. Quamvis enim notum sit discrimen inter susceptionem & administracionem Sacramenti, quòd illa non sit humana actio; hæc autem maxime, & ideo debeat esse ex deliberatione perfecta; at tamen falsum est debere simul cum verbis concurrere actuales consensum, sed sufficere virtuales sive ad rationem contractus, sive ad rationem Sacramenti.

Et quidem in ratione Sacramenti planè constat in Sacerdote consecrante; licet enim non adsit actualis intentio in consecrante, tenet consecratio si præcesserit intentio; eo quòd alijs medijs actionibus virtute continetur, quæ oriuntur ex illa expressa priori intentione. Et de contractu idem dicendum esse constat; quia ad contractus non amplius requiri potest, quam actio humana; ea autem esse potest cum intentione virtuali, ut manifestum est in administracione Sacramentorum. Hucusque Pontius.

Planè actio humana potest esse cum intentione virtuali. Sed nunquid ideo hæc solutio omni veritate destituitur? Minime; nam hujusmodi intentio virtualis est actualis consensus concomitans medijs alijs actionibus verba ipsa aut signa exteriora. Deinde interrogo ego unum verbum: Sacerdos aliquando potest validè consecrare in ebrietate vel somno?

Refert quidem aliquos, sed tacito nomine, Petrus Cabrera in præfenti quæst. 68. art. 7. in comment. art. 1. qui id docent de Baptismo, quam sententiam & ipse probabilem censet: præsertim (inquit) si illa actio, quam dormiens exequitur, ortum habet ex efficaci voluntate conferendi Baptismum, quam in vigilia habuit. Verùm illis Auctoribus annumerari nequit Pontius, qui in eodem capite num. 6. negat in ebrietate fieri contractum Matrimonij, etiam dato, quòd præcesserit consensus & verba tunc profertantur: quia (inquit) ea prolatio verborum non est humana actio, cum non jungantur humano modo cum voluntate præcedente.

Quod colligit à posteriori; quia etiam si quis habuisset animum dicendi convitia in aliquem si inebriaretur, & in ebrietate profert,

95.

Sententia  
Petri Ca-  
brera.

Cuiusno-  
merari ne-  
quit Bas-  
ilij Pon-  
tius.

Sect. 7. De Ministro Sacrament. Concl. 6. 165

ferret, non censeretur injuriam facere, nec convitari; sicut neque censeretur mentiri aut fidem frangere, qui in ebrietate facit oppositum ejus quod promiserat. Ergo idem dicendum, ex mente illius Auctoris, de consecratione, quæ non minus debet esse actio humana, quam contractus; & tamen ad illam ex doctrina ejusdem sufficit intentio virtualis, & negari non potest in ebrietate manere virtuales intentionem. Hæc concilia benigne lector, & eris mihi magnus Apollo.

96. Obiectio secunda quod actio facta in somno non possit esse culpabilis, s. Dionysius.  
 Obijcitur secundò: Actio facta in somno non potest esse culpabilis, adeoque voluntaria & humana; ergo etiam Sacramentalis. Respondeo cum Sanchez supra: bonum ex integra causa, malum autem ex singulari defectu, teste D. Dionysio cap. 4. de Divinis nominibus. Cum igitur Sacramenta sint quoddam bonum, exigunt plenam libertatem; at peccatum cum malum sit, satis est quod sit volitum in sua causa, sive (quod in idem recidit) ad malitiam sufficit voluntarium interpretativum. Unde illud peccatum non est liberum ut humana actio, sed ut effectus physicus, quem, quia homo previdit, potuit & debuit vitare. Sic in veteri lege domino imputabatur in culpam, si ejus bos aliquem læsisset, & tamen actio illa bovis propterea non erat humana.

Ut ergo imputeretur omisso aliqua vel actus secutus in ebrietate in culpam, hoc est, ut denominetur culpa à voluntate præterita, in qua tota malitia formalis residet, satis est quoquo modo fuisse volitum sive in se, sive in sua causa; formaliter, sive interpretativè seu virtualiter, ut quidam loquuntur. At (inquit Sanch. supra) cum homo non teneatur vitare sponsalia & matrimonium (eadem est ratio de alijs actionibus Sacramentalibus) non censeretur voluntas virtualis circa illa.

97. Basil. Pontius.  
 Sed contra opponit Pontius supra n. 13. Ut effectus secutus ex aliqua causa positiva dicatur mihi voluntarius, non est necessarium ut præcepto teneatur, sed satis est, si ego liberè adhibui causam ex qua sequeretur, ut satis constat, licet ut sit peccatum, requiratur ea præcepti obligatio. Hæc ille & alij plures in tract. de Voluntario, quamvis contrarium sit magis commune, de quo nolumus hic disputare; quidquid enim dicatur, certum est effectum secutum non liberè, in somno v. g. vel ebrietate, non esse voluntarium formaliter sive per actum præsentem, sed ad summum moraliter sive interpretativè; quod voluntarium minimè sufficit ad actionem humanam, id est, proximè liberam, qualem ex dictis oportet

esse actionem Sacramentalem.

Et ratio ulterior disparitatis est, quod tota malitia, v. g. homicidij, reperitur in actu interiori, ita ut ille, qui voluntariè ponit causam, puta ebrietatem, æqualiter coram Deo peccet sive sequatur homicidium, sive per accidens impediatur. Porro actio Sacramentalis essentialiter est signum sensibile seu externum, ita quod ratio Sacramenti principaliter & formaliter consistat in actu exteriori. Sicut ergo voluntas occidendi proximè debet esse libera, & sine hac libertate homicidium nullo modo est peccatum formale; ita è converso actio externa Sacramenti proximè oportet sit libera: nec sufficit libera voluntas ministrandi; quia non illa, sed ipsum ministerium est Sacramentum.

Omitto, quod probabiliter docet Vasquez 1. 2. disp. 94. n. 9. opus illud vel omissionem factam in somnis non informari malitia morali, ut idem peccatum morale cum voluntate constituat, sicut informatur actus exterior, quamdiu sub potestate voluntatis perseverat; ac proinde opus illud vel omissionem in somno vel ebrietate solum esse effectum peccati. Hæc ille. Et credam ego voluntatem Sacramenti omnino præteritam constituere seu componere cum opere factio in somno vel ebrietate actionem Sacramentalem humanam seu proximè liberam?

Ex dictis colligitur Sacramentum fore validum, si minister sit compos mentis quando verba profert, quamvis statim antequam audiantur fiat amens; tota quippe illa actio prout à ministro, sive humana. Forma quoque Sacramenti non sunt verba audita, sed prolata. Addit Dicastillo disp. 3. n. 125. & sequentibus, valere Baptismum, quando liberè aqua est effusa, licet antequam aqua corpus tangat, effundens dormiat, vel etiam amplius non vivat; quia jam moraliter ablutio posita fuit à tali ministro: siquidem supposita effusione naturaliter resultat, sine concursu efficientis, qui si viveret, nihil amplius præstaret, quam quod vivus præstitit.

Sicuti quando quis in odium fidei præcipitatur ex turri, censeretur verè precipitatum, esto in martyrio requiratur aliquis inferens mortem in odium fidei, quemadmodum in Sacramento Baptismi requiritur aliquis baptizans. Ratio autem alia dari nequit, quam quod mors in sua causa ante mortem Tyranni posita fuerit. Ita ille Auctor, salvo tamen semper (ut adjungit) meliori judicio, præsertim Sanctæ Matris Ecclesiæ.

X 3

Ecclesiæ.

98.

Disparitas inter actionem culpabilem & Sacramentalem.

99.

Sacramentum erit validum, si minister dum profert verba sit compos mentis, etiam antequam audiantur, fiat amens. Dicastillo.

Ecclesiæ. Sed casus non sunt morales, ut indigeant ulteriori examine.

100.  
Scotus

Examineda potius venit secunda divisio intentionis, in actualem videlicet, virtuales & habituales, quam Doctor Subtilis 4. dist. 6. q. 6. n. 2. sic explicat: Ille (inquit) dicitur actualiter intendere, qui habet actum elicatum respectu eius quod intendit: ille autem dicitur habitualiter intendere, qui habet habitum inclinantem ipsum ad talem actum.

Subjungit intentionem virtuales his verbis: Si aliquis intendit in principio Missæ celebrare Missam, si postea est distractus, non habet actualem intentionem quando est distractus. Patet: quia non intelligit tunc illud in actu, ergo nec vult illud in actu, nec habet tantum intentionem habituales, quia talem habet dormiens: habet ergo se medio modo. Et hanc eius dispositionem, dico intentionem virtuales, quia scilicet virtute alicuius intentionis prius habita actualiter, facit omnia que facit ex illa tanquam ex radice, ita quod illa intentio actualis fuit principium ordinatum ad omnes istos actus, & habet in se virtualiter intentionem propriam cuiuslibet istorum actuum, sicut intentio finis habet in se virtualiter intentionem propriam cuiuscunque ordinati ad finem: & pro tanto manente intentione cuiuscunque ad finem ordinati, manet ista intentio actualis prima virtualiter in omnibus istis. Ita Scotus.

101.  
Quid sit intentio actualis, habitualis & virtualis.

Scotus.

Igitur ex mente ipsius, intentio actualis est, quæ ego actu intendo v. g. baptizare, quando profero verba & effundo aquam. Habitualis, intentio merè præterita non retractata. Virtualis, quæ manet in virtute & influit in opus. Exemplum huius sit: Intendens (inquit doctor supra) ire ad Sanctum Iacobum, ex intentione huius finis ordinat multa alia necessaria ad illum finem; exequens autem illa ordinata, non semper cogitat de S. Iacobo, nec de reverentia eius. Dico tamen quod semper meretur, quia vel habet intentionem eorum quæ sunt ad finem illum, cuius est illa prima intentio, vel habet actus aliquos sequentes ex illis intentionibus, licet cum illis actibus concurrant aliqui actus distractentes & ab intentione illa prima, & ab intentionibus proprijs eorum, quæ sunt ad illum finem.

Hæc est communis explicatio earum intentionum. Controvertitur autem, an quælibet sufficiat ad valorem Sacramenti? Respondeo & dico:

## CONCLUSIO VII.

Sola habitualis intentio non sufficit ad validam admi-

nistrationem Sacramenti, quod consistit in usu.

102.  
Ratio conclusio ex Scoto.

Ita expressè docet Scotus supra n. 3. ubi sic ait: Ad propositum dico, quod sola intentio habitualis non sufficit in Baptismate. Rationem adjungit: Quia propter istam non dicitur actus eius, licet sit conformis illi habitui, id est, voluntati præteritæ, actus humanus. Nam si aliquis habeat habitum inclinantem ad desiderium sanitatis, si curatur nullo modo intendens sanitatem, sed ad ludum, non dicitur consequi sanitatem per aliquem actum humanum, sed casualiter vel fortuito, non magis quam si non habuisset intentionem ad sanitatem: ergo sola intentio habitualis non sufficit respectu finis actus humani, ut humanus est.

Atque hæc est hodie in omnibus scholis recepta sententia, illa utique ratione; quia Sacramentum debet conferri ex intentione faciendi quod facit Ecclesia; ergo intentio debet proximè vel remotè esse causa Sacramenti. Porro præterita voluntas in nullo suo effectu permanens nequit ulatenus influere in Sacramentum; adeoque Sacramentum non confertur ex vi illius intentionis.

Obijci solet; quia ad applicandum fructum Sacrificij sufficit intentio habitualis; ergo etiam ad valorem Sacramenti.

103.  
Objectio.

Vasq. disp. 138. cap. 6. n. 74. negat antecedens. Etenim Sacerdos non alia potestate applicat & alia offert, sed eo ipso quo potestatem habet offerendi, habet etiam applicandi; siquidem alteri applicare valorem Sacrificij, est ei per Sacrificium prodessè; hoc autem facit Sacerdos eo ipso, quod pro illo offert: atqui præterita illa voluntas, puta quam heri habui, non est sufficiens ut Sacrificium hodiernum pro illo offerri dicatur; ergo neque ut valor ei applicetur. Minor probatur: quia Sacrificium non minus est actus humanus, quam Sacramentum; quippe secundum rem idem sunt: ergo sicut Sacramentum necessariò pendet ex ministri præteriti actuali voluntate vel virtuali, ita etiam oblatio Sacrificij.

104.  
Responsio Suarez.

Suarez disp. 13. sect. 3. conclus. 2. quem alij communiter sequuntur, admissò antecedente, negat consequentiam. Et hoc videtur magis conforme menti fidelium, qui putant se satis validè applicare fructum Sacrificij si præterenti die applicent, licet postea non recordentur, dum tamen voluntatem illam non retractent. Do rationem differentie: quia intentio efficiendi Sacrificium aut Sacramentum, est intentio factiva operationum realium, quæ sunt in Sacrificio